



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellaneorum Observationum Libri quatuor**

**Petit, Pierre**

**Trajecti ad Rhenum, 1682**

Cap. XVII. Ejusdem Basiliæ locus alter de cornicum Aeliani transmigratio-  
ne cum Aristotelis & locis collatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13245**

nere illo volatiliū. Sed quis hujusmodi lapsus viris illis sanctis, ad sacra perpetuo intentis, & longe altiorum rerum sibi consciis non facile condonet?

## CAPUT XVII.

*Ejusdem Basilii locus alter, de cornicum transmigratione, cum Aristotelis & Æliani locis collatus.*

**A**Lia igitur quædam ejusdem sancti doctoris, ex eadem *Homilia*, debito illi prius cultu perfunctus & multum veneratus, adnotare pergam. In quibus non errasse quidem illum dico, sed non sentire cum *Aristotele*, in *historia animalium*. Postquam enim volatiliū minora est exsecutus, & de apum moribus cellisque sexangulis dixit, transit ad aves gruumque & ciconiarum migrationes, disciplinamque volandi, atque officiorum vices mira facundia exsequitur, in quo id mihi dignum animadversione visum est, quod ciconiis cornices peregrinationum comites, & tanquam satellites adjungit, quas locum non mutare *Aristoteles* lib. 9. *histor. cap. 23.* expressè dicit. *Basilii* verba de gruum profectioe hæc sunt: Δορυφορῶσι δὲ αὐτῶν (πελάργως) αἱ παρ' ἡμῖν κορώναι, καὶ παραπέμπουσιν, ἐμοὶ δοκεῖν, καὶ συμμαχίαν τινὰ παρεχόμεναι πρὸς ὄρνιθας πολεμίας. σημεῖον δὲ πρῶτον μὲν τὸ μὴ φαίνεσθαι ὑπὸ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον κορώνων παντόπασιν· ἐπειδ' ὅτι μετὰ τραυμάτων ἐπανερχόμεναι ἐναργῆ τῷ συνασπισμῷ καὶ τῷ ὁπμαχίας τὰ σημεῖα κομίζουσι.

i. Comitantur vero ipsas (Ciconias) satellitum & stipatorum instar, ac deducunt, ut quidem mihi videtur, nostrates cornices; atque iis auxilium adversus inimicas aves ferunt. Hujus vero signum est, primum quidem, quod nulla sub id tempus omnino



apparet cornix. Deinde quod cum vulneribus revertentes, manifesta prestiti auxilii ac pugnae vestigia referunt. Eadem habet Ambrosius lib. 5. Hexameron cap. 16. ubi de hac ciconiarum migratione differit: *Cornices autem* (inquit) *deducunt eas ac dirigunt & velut quibusdam turmis stipatricibus prosequuntur, adeo ut adjumenta quadam bellantibus adversus inimicas aves conferre credantur, & propriis periculis bella aliena suscipere.* Aristoteles autem, ut dixi, cornices earum avium numero, quæ locum mutant, apertissimis verbis eximit eo loco, quem indicavi: Ταῦτα δὲ πάντα (inquit) διαπαντὸς φάνερά ἐστιν. ἔτι δὲ τὰ κατὰ πόλεις εἰωθότα μάλιστα ζῆν, κόραξ καὶ κορώνη. καὶ γὰρ ταῦτα αἰεὶ φάνερά, καὶ ἔμελαβάλλει τῆς τόπης, ἔδὲ φωλεύει. Scaliger vertit: *Recensenda & iam, quæ in urbibus maxima ex parte vivere consueverunt, cornix & cornix.* Nam hæ semper videntur; neque mutant loca, neque latent. Mira auctorum discordia, nam *Basilus* cornices ciconiis abeuntibus comites ire dicit, quia sub id tempus non apparent: *Aristoteles* semper conspicit: neque locum mutare aut latere. Atqui *Basilus* præter *Ambrosium*, *Isidorum* habet suffragatorem, qui item ciconiarum migrantium socias cornices facit lib. 12. *Originum* cap. 7. *Ælianus* autem ab iis omnibus dissentiens, ciconias gruibus associat: Προσακῶ δὲ τῆς πελαργῆς καὶ αὐτῆς συμφεύγειν ταῖς γεράνοις, καὶ συναποδιδράσκειν τὸν χειμῶνα. Item ciconias audio cum gruibus injurias frigoris fugientes solum verte-re. Tum *Plinius* de hac opera, quam cornices ciconiis peregrinantibus præbent, ne verbum quidem. Quare quod hic *Basilus* de cornicum συνασπισμῶ, & ἐπιμαχίᾳ in ciconiarum expeditionibus memorat, mihi valde est suspectum. Quod nemo non potius *Aristoteli* & *Plinio*, in *historia animalium*; quam aut *Basilio*, aut *Ambrosio*, aut *Isidoro*, & similibus auscultandum judicet.

GRATIAS TIBI DOMINE JESU!

F I N I S.